

OVATIONES

SISTER MARY BERCHMANS HANNAN

Omnibus est laudanda haec femina reverenda, quae recipit hunc honorem propter sua dona magna studiis linguarum antiquarum, praecipue successores dignas in discendo docendoque. Haec femina, adepta gradum Baccalaureae Artium in antiquis litteris apud Universitatem Trinitatis in urbe praeclara Domus Albae, bis meruit gradum Magistrae Artium: in historia Europaea aetatis recentioris apud Universitatem Catholicam patriae nostrae et in administratione scholarum superiorum apud universitatem in civitate vocata "Terra decem milium lacuum." Anno Domini quo magnus dux Belli Mundani Secundi praeses iterum electus est suam vitam consecravit doctrinae apud Scholam Praeparatoriam Visitationis Georgiopolitanam, cuius nomen commemorat actum adiuvandi in sancto partu, apud quam ipsa et sua beata mater inceperant sua studia. Magistra linguae Latinae, tum praefecta, denique praeses huius academiae facta, quoque duos annos servivit, ut praeses, Societati Praefectorum Scholarum Superiorum. Exhortata discipulas suas ut ad astra cursus earum contenderent, eis fidem et scientiam attulit. Plaudamus igitur Sister Mary Berchmans Hannan.

University of Maryland, College Park
CW 92.6 (1999)

SEAN MCGEE
ANN RENZY
JUDITH P. HALLETT

DOM AIDAN SHEA

Hodie honoramus grammaticum verum, studiosum litterarum antiquarum, cuius alacritas eruditioque inspiraverunt novum ordinem strenuorum doctissimorumque professorum, plus uno saeculo perennem.¹ Hic reverendus vir intravit monasterium Sancti Anselmi eodem anno quo vehiculum caeleste, imperii illustris signo mallei falcisque, orbem terrarum circumivit. Incepit docere linguam Latinam eodem anno quo elegimus nostrum primum praesidem ex insula viridi. Propter praecipuos labores et magnam diligentiam, anno ducentesimo nostrae rei publicae magister studiorum fiebat et tenebat hoc munus usque ad tempus quo Germania in duas partes dividi destitit. In laudandis virtutibus eius, priores discipuli leporem et urbanitatem, prudentiam et humanitatem eius salutaverunt. Plaudamus igitur Dom Aidan Shea.

University of Maryland, College Park
CW 92.6 (1999)

ARI BRYEN
MATTHEW DAVISON
KAREN GENEROSE
JUDITH P. HALLETT

KATHLEEN KENNEDY TOWNSEND

Hodie honoramus feminam praeclarissimam at eminentem cuius maiores, deditissimi bono publico, ab omnibus celebrantur. Et pater eius et patruus, ambo viri qui studia classica dilexerunt, dederunt vitas suas ut cives patriae nostrae valerent in re publica verae libertatis aequalitatisque, revocantes in

¹ Cf. Catullus 1.10, *plus uno maneat perenne saeclo*

nostram memoriam duos fratres in re publica Romana, Tiberium et Gaium Sempronium Gracchum. Ea est heres virtutum humanarum illorum.

Adepta gradum Baccalaureae Artium cum laude apud Universitatem quae Veritatem colit, renovavit studia in terra delectationis, ubi gradum Iuris Doctoris meruit. Officiis adiutricis vicariae Advocati Primi functa, in ministerio Iustitiae rei publicae nostrae, liberam civitatem, ubi stellatum vexillum primo diluculo fluitavit, servivit ut Legata Gubernatrix, prima femina sic distincta, merens optime omnibus liberis educatione corroboranda. Plaudamus igitur Kathleen Kennedy Townsend.

University of Maryland, College Park
CW 92.6 (1999)

ALEXANDER HACKER
MAX PUGH
CHRISTOPHER WELSER
JUDITH P. HALLETT